

Appendix. — Europa Nro. 60.

Regnum Mortuorum.

Dialogi Mortuorum.

Elisium — Meum 12. Julii 1808.

Quis quis, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare, age, quid venias; jam isthinc et comprime
gressum.

Aeneid. l. 6. v. 8. et 9.

Curia in campis Elysaeis.

In nemore immortalitatis in Elisio est castrum amplum campestre, in quo spiritus nonnullorum, qui se in vita meritis distinxerant, conveniunt. Ast non omnes immortales sunt etiam virtuosii. *Herostatus*, et *Marcus Aurelius* sunt immortales — Quae opposita sunt hic simul! Est tamen in hac curia specialis sala cum inscriptione: *Honestas diutissime durat*; hanc *Herostatus* ingredi non potest, sed tantum umbrae honestae ex omnibus statibus habent *Billettam* pro ingressu. Illic est quivis honestus, ab aratro ad coronam. Hesterna die, idest 11. Julii advenerant ex Austria umbrae celebriores, quarum semper magnus est numerus, quae- rentes, quid Mercurius de mundo tulerit, et sciscitantes de novissima Geographia. Conspectus potentiae Domus Austriae ad sequentes deduxerant eas considerationes.

Jam ultra 500 annos florens arbor Domus Habsburgicae, licet tempestatibus, quae politicam globi terraquei formam saepius everterant, saepius sat profunde pene ad radicem exagitata, et multis praecipuis ramis orbata, manet tamen una ex florentissimis totius Europae; sub cujus umbris ante 3 Saecula pars Europae amoenissima quieverat. In Ditionibus Caroli V. nunquam sol occubuit (Hic subrisit Garolus Imperator, et consideravit solem) Quod cursu temporis ab hac monarchia avulsum est, enata sunt sex Regna (Hodie mihi, cras tibi) dixerat idem Imperator Matthias) et tamen initio adhuc saeculi XIX. adstat cum majestate, ut etiam in transitorio illo momento, quo vires exhaustae sunt, tantum duo Imperia eam praecedant.

Quis neget — esse votum commune cultioris humanitatis; ut veneranda haec intermedia potentia diu adhuc sit murus inter duo gigantea orientale, et occidentale Imperia (Galliam, et Russiam) Vae, si haec duo imperia aliquando

se mutuo contingant!) Hic exultabat prae solatio Minister *Choiseul* — Volui per bellum septennale efficere, ut tantum 3 Monarchiae sint in Europa! sed Borissia? Est nunc ibi, uoi tunc illam habere volebam) Etiam post ingentibus sacrificiis redemptam pacem Posoniensem 1805; per quam 1109 quadrata milliaria, et ultra unam septimam populationis amiserat (3,491,890 animas) habet Austria extensionem territorii, quae post Russiam, et Galliam prima est; habet enim adhuc 10,800 quadrata milliaria (Gallia habet 12000; Russia Europaea 83,000 quadrata milliaria.

Spatium satis pro Gubernio pleno energiae, et spiritu ad procreandum habili praedito, qui hac in extensione amissum Belgium, Lombardiam, et Tirolim reoccupare posset — non quidem armis, sed aratro et instrumentis providae industriae. Non mortua terra, nec amplissimi limites constituunt opes, et vires, sed lucrum, quod industria ex terra producit. Austriaca Monarchia nunc adhuc numerat ultra 22 milliones habitatorum, sed, adhibita cultura, posset 30. millionibus alimenta dare. Verum equidem est, deserta patentissima (Puszta) ad Debreczinum et Ketskemetinum in fructiferos convertere campos, magnum exposcere laborem. Macram Croatiae terram, montes item et saxa Carinthiae, Carnioliae, et carpaticos nunquam praemiuros sudorem Industriae; ast quid contra promittunt fructuosissimi Campi Hungariae, quae cum terra Siciliae quoad fertilitatem de primatu certat? Regiones Danubii in Austria, quae amoenissimos ubique hortos repraesentant; quid item pingues Eukovinae regiones, et terrae Bohemiae, in quibus Industria nihil non producere potest.

Haec Massa populationis in Austria inhabitat 622 civitates (Borussia longe minor numerabat ante pacem chronopolitanam 1062) 1920 oppida, et 66,273 pagos; In proportionem extensionis territorialis Bohemia habet plurimas civitates, utpote 251 ex quibus ad quodvis tertium milliare quadratum 1. obtingit, proxima huic est Moravia, quae habet 123 civitates, contra vero patentissima, et opulentissima Hungaria non nisi 59 numerat, quod argumento est, in Hungaria Agriculturam industriae civitatensi praeferrri; sed jam evigilat spiritus culturae etiam in hac gente belliosa, et mox florebit industria.

Amicus domus Austriacae indolet malis infaustorum bellorum, quae gessit; sed amicus humanitatis in medio huius infelicitatis sperat meliora. Ut Monarchiae huic novae aderescant vires, debet lumen culturae ad regiones Danubii inferioris, et Bugi propagari, ibidemque ars et industria pro nova creatione provocari. Ita status calamitatis populorum, quam sub finem 18 et initium 19 pertulerat, non erat absque omni fructu pro humanitate. Et nunc ite-

rum — Quis negaverit, est commune cultioris Europae votum, ut veneranda haec intermedia potentia inter gigantem Occidentis, et Orientis sit insuperabilis murus; vae, si hi aliquando se contingant, ut unus alterum contereere velit. — Ad haec personabat hoc voto sala veteris honestatis; atque unice ex hac, quam hic desideramus, constitutione Politicae potest pax perpetua, aut saltem durabilis in Europa sperari. — Hinc ierant manes in musaeum legendis libris destinatum, legebantque in Ephemeridibus sequentia:

Parisiis 7. Julii: Quaedam Ephemerides jam exhibent novam Hispaniae Constitutionem, quae ultra 100 articulos habet. In sessione 9. Juntae, quae fuerat 27. Junii, insinabat Praeses: Observationes Deputatorum, juxta conclusum prioris Sessionis factas, jam omnes exhibitas, et juxta seriem articulorum, quos concernunt, collectas esse, ut decisioni Juntae proponi possint; Deputatosque omnes jam sibi de omnibus objectis eam comparasse cognitionem, ut eatenus vota sua depromere possint; hinc dies sequens pro sessione defixa est, ut qui adprobarentur Articuli, Imperatori proponi possint. Ne vero in dandis votis confusio fiat, conclusum est, ut quivis votum sedendo, vel assurgendo exprimat, quo taliter numerus votisantium hoc facilius numerari possit; et cum inter factas Deputatorum observationes etiam tales essent, quae duntaxat redactionem articulorum respiciunt, declaratum erat, de his tantum agi, qui de aliqua mutatione agerent; juxta hanc determinationem assumebantur in Sessione articuli omnes unus post alterum; quae Sessio usque 6. horam vespertinam duravit; tunc vero consultatio de hac re in diem sequentem translata est.

Monitor de 6. Julii haec habet: Ephemerides Parisienses, et regionum, in quibus copiae Gallicae sunt, multa sibi indulgent, quae eo tendunt, ut sollicitudinem in populo, tumultusque in provinciis excitent. Ita dicunt Berolinenses, Marschalium Davoust promississe cuivis russo militi 100 Franc. qui ad Gallicum exercitum transiret, qui rumor falsissimus merito excitavit Generalis hujus indignationem. Aliae arguant Russos oppressionum, quas in Moldavia, et Valachia exercent; Aliae dicunt, Merces Anglicas cum consensu Aulae Russicae Rigam et Coronam penetrasse; aliae plane inclamant, merces tales Tergestum venisse; denique naves americanas in Hispaniam admissas fuisse. Rumores hi, quos Ephemerides propagant, sunt evidenter falsi.

Per Stuttgardam transiverunt inter 7 et 11. Julii Nuncii sequentes: Gallicus *Colleur* Parisiis *Ulmam* etc. *Hodgè Mustapha* Bey Legatus Ottomanicus cum sua *Cemiva*

Parisiis Constantinopolim redux. Comes *Riabini* Status Consiliarius Russicus, et Legatus extraordinarius ad Aulam Baadensem; *Piazzoni* nuncius gallicus Buccaresto veniens, et Parisios tendens; Eques *Captiest* Petropoli Parisios. — In Regno Vestphaliae plures quotidie propemodum vulgantur Ordinationes, quae novi gubernii ordinationes concernunt, inter quas sunt: Ut Codex Napoleonis cum initio Anni per totum regnum assumatur: Ut novum, et generale sistema contributionis, debitorumque tam antiquorum, quam novorum defigatur; denique nexus inter Principem, et Regni status arctior, quam ante fuit, defigatur — Organisatio militiae sedentariae per Austriam cum optimo successu continuatur. — Iter Imperatoris in Galliciam probabilius adhaerebit, quia alia objecta occurrerunt, quae praesentiam ejus domi exposcunt. Turcae sunt in quiete; armistitium perdurat, sed optata diu pax necdam adest. Naves americanae cum mercibus colonialibus Smirnam libere adveniunt. Status Ecclesiasticus Hispaniae exhibuit Juntae Instantiam, ut ordines religiosi per Hispaniam utriusque sexus regulentur.

Diarium Politicum.

Fuit tempus, dum omnis excursio classis anglicanae terrorem incussit. *Nelson* erat heroicum, sed etiam terribile nomen. *Nelson* non est amplius, et expeditiones anglicae ubique iridentur. Angli ex quovis populari tumultu lucrum trahere volunt; ita volunt praesenti Hispaniae situ in suum commodum uti; sed relationes, quas praetor *Purvis*, et Generalis *Spencer*, qui hoc scopo ad Gades, excubant, non correspondent huic fini, ideo etiam ingratae sunt. Tractatus inter Generalem *Spencer*, et Commendantem Portus Gaditani Marchionem *Socorro* non successerunt bene; imo dicitur: Officialem hispanicum, qui hoc in tractatu intermediator erat, partibus Gallorum adhaerens, Generalem *Spencer* in foveam allicere voluerit, qui dolum advertens, cum suis recessit. Sed necdum amiserunt spem boni successus Angli; ideo *Arthur Vellesley* Gorcum misus est, expeditioni, quae illic paratur, praefuturus; habet Secretarium *Villiams*, qui linguam et mores Hispanorum scit. Spem collocant bovi successus in tumultibus popularibus, qui in una, alterave provincia exorti sunt, et putant, Gaditanos ad amicitiam Anglorum promptiores futuros, ubi haec, quae in provinciis fiunt, audiverint, sed vix etiam haec spes non evanescet, si verum sit, quod ephemerides Gallicae, et hispanicae narrant, transitoriam nempe populi effervescentiam, cui fanaticus aliquod nutrimentum suggestit, jam saltem parte majori cessasse. In omnes etiam alios portus, ut sunt *Gijon*, *Ferrol*, *Vigo* mittuntur naves, et belli apparatus cum militibus; sed indubie tarde venientibus. —

novu
gis t
di ad
phali
Gern
onem
incol
docu
nomi
rum
haec
in li
spota
puto
tissin

quae
atro
plura
gaud
veter
Vestg
tur"
ante
areal
1,900
12,72
sviga
18,45
regnu
ductio
Potio